

## **Epistola B. Pauli Apostoli ad Timotheum Secunda**

---

**Cap. 1** <sup>1</sup> Paulus Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, secundum promissionem vitæ, quæ est in Christo Jesu, <sup>2</sup> Timotheo carissimo filio : gratia, misericordia, pax a Deo Patre, et Christo Jesu Domino nostro.

<sup>3</sup> Gratias ago Deo, cui servio a progenitoribus in conscientia pura, quod sine intermissione habeam tui memoriam in orationibus meis, nocte ac die <sup>4</sup> desiderans te videre, memor lacrimarum tuarum, ut gaudio implear, <sup>5</sup> recordationem accipiens ejus fidei, quæ est in te non ficta, quæ et habitavit primum in avia tua Loide, et matre tua Eunice, certus sum autem quod et in te.

<sup>6</sup> Propter quam causam admoneo te ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.

<sup>7</sup> Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris : sed virtutis, et dilectionis, et sobrietatis. <sup>8</sup> Noli itaque erubescere testimonium Domini nostri, neque me vinctum ejus : sed collabora Evangelio secundum virtutem Dei : <sup>9</sup> qui nos liberavit, et vocavit vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, et gratiam, quæ data est nobis in Christo Jesu ante tempora sæcularia. <sup>10</sup> Manifestata est autem nunc per illuminationem Salvatoris nostri Jesu Christi, qui destruxit quidem mortem, illuminavit autem vitam, et incorruptionem per Evangelium : <sup>11</sup> in quo positus sum ego prædicator, et Apostolus, et magister gentium. <sup>12</sup> Ob quam causam etiam hæc patior, sed non confundor. Scio enim cui credidi, et certus sum quia potens est depositum meum servare in illum diem. <sup>13</sup> Formam habe sanorum verborum, quæ a me audisti in fide, et in dilectione in Christo Jesu. <sup>14</sup> Bonum depositum custodi per Spiritum Sanctum, qui habitat in nobis. <sup>15</sup> Scis hoc, quod aversi sunt a me omnes, qui in Asia sunt, ex quibus est Phigellus, et Hermogenes. <sup>16</sup> Det misericordiam Dominus Onesiphori domui : quia sæpe me refrigeravit, et catenam meam non

erubuit : **17** sed cum Romam venisset, sollicite me quæsivit, et invenit. **18** Det illi Dominus invenire misericordiam a Domino in illa die. Et quanta Ephesi ministravit mihi, tu melius nosti.

**Cap. 2** **1** Tu ergo fili mi, confortare in gratia, quæ est in Christo Jesu : **2** et quæ audisti a me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erant et alios docere. **3** Labora sicut bonus miles Christi Jesu. **4** Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus : ut ei placeat, cui se probavit. **5** Nam et qui certat in agone, non coronatur nisi legitime certaverit. **6** Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere. **7** Intellige quæ dico : dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum. **8** Memor esto Dominum Jesum Christum resurrexisse a mortuis ex semine David, secundum Evangelium meum, **9** in quo laboro usque ad vincula, quasi male operans : sed verbum Dei non est alligatum. **10** Ideo omnia sustineo propter electos, ut et ipsi salutem consequantur, quæ est in Christo Jesu, cum gloria cælesti. **11** Fidelis sermo : nam si commortui sumus, et convivemus : **12** si sustinebimus, et conregnabimus : si negaverimus, et ille negabit nos : **13** si non credimus, ille fidelis permanet, negare seipsum non potest.

**14** Hæc commune, testificans coram Domino. Noli contendere verbis : ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium. **15** Sollicite cura teipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, recte tractantem verbum veritatis. **16** Profana autem et vaniloquia devita : multum enim proficiunt ad impietatem : **17** et sermo eorum ut cancer serpit : ex quibus est Hymenæus et Philetus, **18** qui a veritate exciderunt, dicentes resurrectionem esse jam factam, et subverterunt quorundam fidem. **19** Sed firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc : cognovit Dominus qui sunt ejus, et discedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini. **20** In magna autem domo non

solum sunt vasa aurea, et argentea, sed et lignea, et fictilia : et quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam. **21** Si quis ergo emundaverit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum, et utile Domino ad omne opus bonum paratum. **22** Juvenilia autem desideria fuge, sectare vero justitiam, fidem, spem, caritatem, et pacem cum iis qui invocant Dominum de corde puro. **23** Stultas autem et sine disciplina quæstiones devita : sciens quia generant lites. **24** Servum autem Domini non oportet litigare : sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, **25** cum modestia corripientem eos qui resistunt veritati, nequando Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, **26** et resipiscant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem.

**Cap. 3** **1** Hoc autem scito, quod in novissimis diebus instabunt tempora periculosa : **2** erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, **3** sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, **4** proditores, protervi, tumidi, et voluptatum amatores magis quam Dei : **5** habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes. Et hos devita : **6** ex his enim sunt qui penetrant domos, et captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis desideriis : **7** semper discentes, et numquam ad scientiam veritatis pervenientes. **8** Quemadmodum autem Jannes et Mambres restiterunt Moysi : ita et hi resistunt veritati, homines corrupti mente, reprobis circa fidem ; **9** sed ultra non proficient : insipientia enim eorum manifesta erit omnibus, sicut et illorum fuit. **10** Tu autem assecutus es meam doctrinam, institutionem, propositum, fidem, longanimitatem, dilectionem, patientiam, **11** persecutiones, passiones : qualia mihi facta sunt Antiochiæ, Iconii, et Lystris : quales persecutiones sustinui, et ex omnibus eripuit me Dominus. **12** Et omnes, qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem

patientur. **13** Mali autem homines et seductores proficient in pejus, errantes, et in errorem mittentes. **14** Tu vero permane in iis quæ didicisti, et credita sunt tibi : sciens a quo didiceris : **15** et quia ab infantia sacras litteras nosti, quæ te possunt instruere ad salutem, per fidem quæ est in Christo Jesu. **16** Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, et erudiendum in justitia : **17** ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.

**Cap. 4** **1** Testificor coram Deo, et Jesu Christo, qui judicaturus est vivos et mortuos, per adventum ipsius, et regnum ejus : **2** prædica verbum, insta opportune, importune : argue, obsecra, increpa in omni patientia, et doctrina. **3** Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros, prurientes auribus, **4** et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur. **5** Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac evangelistæ, ministerium tuum imple. Sobrius esto. **6** Ego enim jam delibor, et tempus resolutionis meæ instat. **7** Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. **8** In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, justus judex : non solum autem mihi, sed et iis, qui diligunt adventum ejus.

Festina ad me venire cito. **9** Demas enim me reliquit, diligens hoc sæculum, et abiit Thessalonicam : **10** Crescens in Galatiam, Titus in Dalmatiam. **11** Lucas est mecum solus. Marcum assume, et adduc tecum : est enim mihi utilis in ministerium. **12** Tychicum autem misi Ephesum. **13** Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum, et libros, maxime autem membranas. **14** Alexander ærarius multa mala mihi ostendit : reddet illi Dominus secundum opera ejus : **15** quem et tu evita : valde enim restitit verbis nostris. **16** In prima mea defensione nemo mihi affuit, sed omnes me dereliquerunt : non illis imputetur. **17** Dominus autem mihi

**astitit, et confortavit me, ut per me prædicatio impleatur, et audiant omnes gentes : et liberatus sum de ore leonis.**

**18 Liberavit me Dominus ab omni opere malo : et salvum faciet in regnum suum cæleste, cui gloria in sæcula**

**sæculorum. Amen. 19 Saluta Priscam, et Aquilam, et Onesiphori domum. 20 Erastus remansit Corinthi.**

**Trophimum autem reliqui infirmum Mileti. 21 Festina ante hiemem venire. Salutant te Eubulus, et Pudens, et Linus, et**

**Claudia, et fratres omnes. 22 Dominus Jesus Christus cum spiritu tuo. Gratia vobiscum. Amen.**